

Auspicatissimis
magisterii honoribus
quos favente divina
gratia permittente...

Boderus, Ambernus Svenonis,

1 Ic Fol. Okat.



National Library
of Sweden

AUSPICATISSIMIS MAGISTERII HONORIBUS

Quos

FAVENTE DIVINA GRATIA

PERMITTENTE

Illustrissimo & Generosissimo Heroe ac DOMINO

DN. PETRO Brahe / Comite de Wisingsborg etc.

R. S. Drotzeto &c. &c. Academiae Aboensis Cancellario

Magnificentissimo.

PROCANCELLARIO.

Reverendissimo & Amplissimo

DN. JOHANNE GEZELIO, S. S. Theol. D.

Diocesi. Aboens. Episcopo gravissimo.

MAGNIFICO RECTORE

Consultissimo & Excellentissimo

DN. OLAO WEXIONIO, J. U. D. & Prof. Ord.

Decano spectabili & Praclarissimo

DN. M. ANDREA PETRÆO, Phys. Prof. Publ.

PROMOTOR

Vir praeclens & Consultissimus

DN. M. AXELIUS Kempe / Phil. pract. & hist.

Prof. Ordin.

Praestantissimis atq; Eximijs VIRIS-JUVENIBUS

DN. NICOLAO LIUNGBERGIO

Wex. Smolando.

DN. OLAO VALLINO Calm.

Smolando.

DN. PETRO PLATINO Wex. Smol.

Die 26 Majj 1668. in Reg. Academiae qua Aboe est,

Publicè conferebat.

Applaudunt Sympatriotæ, pro tempore in Regio musarum

Athenæo Aboico degentes.

A B O Æ,

Excudebat PETRUS HANSONIUS Acad. Typog.



Seneca Ep. 37

Quomodo ergò (inquis) Expediam me? Effugere non potes necessitates, potes vincere: fiat via, & hanc tibi viam dabit philosophia: ad hanc te confer, si vis salvus esse, si securus, si beatus.

Theophrast,

Vir Eruditione præclarus, ubiq; invenit patriam & in Alienis locis nunquam peregrinus est.

Antisth

Παιδεία τοῖς μὲν νέοις σωφροσύνη, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις παρρησία, τοῖς δὲ πένησι πλέτος, τοῖς δὲ πλουσίοις κόσμος.

Arist

Κάλιστον ἐφόδιον τῷ γήρῳ ἢ παιδεία.



Clarissimi Viri, fautores integerrimi.

Feliciter virtutem sapientiamq; omni obstaculo maximo quamvis
sperato persecuti estis. Quod enim & constantè voluistis, obtinui-
stis; & quod non primum desiderastis, sub Magistri nomine omnis ho-
nos, maxima gloria, adest. Quantoq; firmiores sapientia & virtus
in animis vestris egere radices, tanto clariores vos agit jam gloria
vestra. Nec vanà glorià vos commendatis; quam quidam specie vir-
tutis quam agunt, quarunt, & sic rem magni quidem meriti, sed
vili pretio reportant. Nec accedit peregrina, sed quivis vestrum Ma-
gistri nomine declaratur domesticà glorià. Hac est vestra, quam o-
lim augurabamur sapientia & virtutis vestra florem fore. Nec im-
maturè in aliquò vestrum floret gloria hac decidere nescia: sed con-
stans certissimus multiplicis fructus est index, de quo Ecclesia; Res-
publica, vos vestriq; ovabunt. Ex animo proinde vobis Magistri
Titulum, sapientia & virtutis solida nomen gratulor. Quicquid
solennis, honoris, boni, solennis Magisterij Actus hoc die celebratus,
vult & portendit, iterum atq; iterum vobis gratulor. De cætero De-
um animitus rogo; ut omnia vergant in gloriam ejus, salutem Rei-
publ. vestramq; utilitatem. Benè diuq; Clarissimi Magistri, vivite.
Vivite Reipubl. Patria, vestraq; laudis materies. Vos Deo Com-
mendo: Me vobis

Vester officiosiss: & Amiciss:

A: Boderus.

Paranesin ad juniores:

Quærite virtutem moniti, nec temnite vires
quas sapientia habet. Fulcimina quæ duo firma;
Egregium servant commune ac undiq; firmant.
Ni sapiens & ni clarus virtute coruscâ
Cæpta benè ac animo constanti absolvere non quit?
Ergò Multa tulit, fecit, sudavit & alit,
LIUNGBERG, VALLINUS, PLATINUS. Nuncq; MAGISTRI,
In patriâ tollant mercedem & munera sancta.

Cl. Magistris etiam, gratulandi animo, apposui, idem
Ambernus Boderus M. St:& R. Al:

Cum in varia studiorum genera incidere, considerans nempe
quanam istorum mortalibus majori ac prestantiori forent utilita-
ti: animadverto sane jucundissimum sapientiae studium, praeter ceteris
sibi verissime coronam vendicare. Quod quippe cum iusto applice-
tur usui mirifice hominem, ejusque praclarum Dei Donum ingenium,
pulcherrimis ornat politisque virtutibus. Atque illud sic excultum, nec per
sotordiam vel rerum vanitates, torpescere, vel alijs succumbere vitijs
patitur, sed ad summum sapientiae et honoris provehit fastigium. ju-
sta ergo lance vitam perpendunt illi, qui ad tantum tamque pretio-
sum studium distinxerant curam, unde et gloriam magnam,
et Nominis sui immortalitatem consequuntur. Ejusmodi sapientum
vestigia vos Clariss. Magistri egregio Marte, egregiam et arte, se-
quendo nim. bonam vestrae naturae indolem, a puero sapientiae et pi-
etati animum consecrando, institistis: quarum studij quam strenui fui-
stis cultores, novere multa et praecleara literarum emporia et prae-
cipue hoc alium Aboense, cujus cathedra quoties vocem vestram eru-
ditionis plenam hausere sciunt praeceptores, testimonia ferunt com-
mitones. Ecce igitur jam illa illucescit dies, qua vestros pro-
be meminit labores, vosque praeclearis cumulat privilegijs. Ecce
quid praemij? quid honoris et decoris? haec ipsa dies in vos con-
fert, animumque quem nox atra saepe literarum vigilis defatigatum
reliquit, dulcissimam exantlati laboris recordatione jam refocillat. I-
taque hos honores, quos vester improbus labor meruit, in tesseram
nostra consuetudinis verissimamque amoris, intimis ex praecordijs vobis
Magistri Clariss. gratulor. Deumque supplex veneror, ut eos, si-
bi in gloriam, Reipubl. in commodum parentibus et amicis in so-
latium vergere dignetur. Valet.

Vester

16. Maij
1668.

J S A C U S Widbeckius:
Smolandus.

Sic.

Sic sine fine nitens, omni diuturnior ævo
Altivolans virtus, non moritura viret.
Insuperabilior virtus adamante, superstes
Perstat in æternum, nec cariola perit.
Nil terrestre vides, quod non mors pallida perdat,
Virtutis solidæ palma perennis erit.
Virtutum offuscat non ulla rubigo; Hyacinthus
Sive ut Beryllus prænitet usq; lapis.
Dos animi, sola ac virtus generosa propago est;
Quam nequit arbitrijs subdere Parca suis:
Hæc sibi devinctos solido maectabit honore;
Porriget illustri præmia digna manu,
Hanc vos fautores, LIUNBERG, VALLINE, PLATINE
Sectati, ut Gaza quæ mage fert rutilâ!
Perdocti juvenes, quorum virtutis honori
Applaudet virtus omnis, & omnis honos:
Quos pieras decorat, transfertq; ad culmen honoris,
Cultoresq; gravi prædicat ore suos:
Immensum vobis statuet nunc jure brabeum,
Virtutis, promptâ culta Minerva manu.
Profit honos Patriæ! laurus titulusq; MAGISTRI,
Insimul & vobis cætera læta fluant!
Impleat & pia vota Deus, virtutis amator?
Lætâq; proveniant, sint Benè cuncta pijs!

Sic sincero animo honores M:tris gratulabar.

MAGNUS Echman.

Dua-

Duabus nos quasi personis naturâ indutos esse certum est, quarum una est Communis, ex eo quod omnes participes sumus rationis præstantiæq; eius, quâ antecellimus bestijs, à quâ omne honestum decorumq; trahitur: & ex qua ratio inveniendi officij exquiritur: altera autem quæ propriè singulis est tributa. Ut enim in corporibus magne dissimilitudines sunt, (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: quibusdam insignem inesse formarum Elegantiam, quibusdam porro dignitatem pereximiam) sic & in animis adhuc majores existere varietates percipimus. Optime tamen natura ingenijs illorum consuluit, quos ad artium humaniorum exercitia pertractanda pellexit. Quæ amatorem sui ingenij acumine felicem ab infimo ad eminentissimum honoris & dignitatis gradum evectunt: Solis instar reliqua astra illustrantis loca naturâ longè distracta radiorum suorum extensione coruscare faciunt. Quod maximè convenire in Hosce nostros natalibus ingenio & industriâ condecoratos, Sympatriotas honoratissimos; Diocesum Wexionensis & Calmariensis alumnos animadverto; qui naturæ & indolis egregiæ quisq; instinctu suorum persuasi sese ab infima ætatis spacijs Musis consecrarunt, intenti in eventum rei qui illos jam manet exoptatissimus. Gaudeat igitur patria nostra dulcissima ob tantos factus à se editos circa primordia & floris & studiorum spacia jam ad summum MAGISTERII Gradum meritò promotos. In iubilum erumpant omnes hoc tempore literis operam dantes hosq; cen incitamenta studiorum intueantur: Gratulor itaq; vobis Faur. Opr. tantos honoris gradus esse designatos. Gratulor nec minus nobis tantas faces & virtutum lumina. Summâ ipse perfusus latitiâ, cui in tanta temporis amenitate vivere contigerit. Exopto vobis coronam sanè Honoris felicissimè succedere, nec solum perpetuam, verum etiam gestantibus felicem & jucundam existere, Valete.

JONAS M. Angelius
W. Smol.

Pierijs

Pierijs quoniam certastis fortiter armis
Sicelidum in castris, fautores suspiciendi!
Ut nec scripta sopherum nec & abdita sensa Minervæ,
Nedum angusta Domi, vestrorum curta supellex,
Irriguis possent Musarum avellere lymphis:
Sic tandem Herculeis superastis viribus orbem.
Hinc ergo, ut quondam vel adorea magna manebat
Dardanium ad tumulum certantes præpete cursu;
Et velut Isthmiaci pugiles oleagina sarta
Olim præmeritæ referebant præmia palmæ:
Sic Fautores, LIUNGBERGI, VALLINE, PLATINE,
Sertis eximijs decoraminor atq; Corollis!
Auricæ Charites quas vobis texere pergunt,
Quæq; Magistralis sint pignus & arrha triumphis!
Eja serena dies! ut vobis nubila pridem
Illuxit, promptis juveniles artibus annos
Excolere: hinc hodierna redit lux candida vobis,
Dum Phæbus viridi convestit tempora lauro.
Nunc restat, Calido claudam mea carmina voto,
Fonticulo puri quod fundam pectoris imo:
O Deus Astripotens, omnis qui es fons bonitatis,
Felicem, faustumq; jube persistere honorem!
Fæc patriæ profer, conjunctis profer amicis,
(Cordicitus voveo) profer vobisq; *Magistris.*

ZACHARIAS AND: Roselius

Vex: Smol:

Omnia

O Mnia nunc florent, nunc est nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumer.
Et modò formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis luxuriatq; pecus.
Nunc blandi soles ignotaq; prodit hirundo,
Garrit ovans simul ac sub trabe fingit opus.
Haud alitèr vobis florent Heliconidis agri,
Vitis ubi folijs obsita Castalijs.
Surculus Aonidum qui vertice constitus olim,
Nunc Aganippæo røre rigatus adest.
Nam vobis largi redeunt hoc tempore fructus,
Pegasidumq; hortis Lilia vestra virent.
Pierijs ramis Chorus insidit atq; canora,
Voce sonat vobis cæcumen hirundo Sophûm.
En quos, LIUNGBERGI, VALLINE, PLATINE, MAGISTRI,
vobis fert fructus improbus ille labor!
Sudores largos excussit cura Sophiæ
Virtutum & morum; pervigil artis amor.
Nunc metam studij contingere, spemq; faventum,
Vos explere, decet: Laurea digna datur.
Fausa precor vobis animiq; recessibus imis,
Gratulor hinc patrio, Gratulor atq; solo.
Palladij voveo vobis qui dantur honores,
Sint patriæ nostræ non moriturus honos.

*Abœ 7. Calend.
Iunij 1668.*

*Sic svadâ tenui, at animo calenti
Clariss. M. tris honores Gratulabar*

ENEVALDUS WIDBECKIUS
Smolandus.

